

- 207 Resp. ad I. Potestatem Regiam ita à DEO populis, & ab his Principibus esse concessam, ut continuam subordinationem habeat ad Potestatem Ecclesiasticam, à qua, si deficiat, ac deviet à semita salutis, reduci, & reformari debet.
- 208 Resp. ad II. spirituale Potestatem non esse subordinatam temporali, veluti temporalis est spirituali subordinata: non enim spiritualia propter temporalia, sed hæc propter illa sunt condita: ideòque mirum non esse, quòd Potestas spiritualis eatenus temporalem possit constringere, quatenus hæc impedimento est, quò minus illa suum finem assequatur.
- 209 Resp. ad III. licet à Christo nunquam exercita fuisset Jurisdictio circa temporalia (cujus tamen oppositum patet ex Math. cap. 8. cap. 21. & Joann. cap. 8.) nihilominus exinde non concludit, neque à Vicario Christi exerceri posse: quandoquidem Divinæ Providentiæ placuit, Ecclesiam suam supernaturalibus mediis primitus ædificare, jamque ædificatam viribus etiam & causis naturalibus conservare.

SECTIO IV.

De Loco, Ministris, & Effectu Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ.

SUMMARI A.

213. Summi Pontificis ab initio ferè Jurisdictionem Ecclesiasticam exercebant. 214. Postea Coadjuvatores assumperunt. 215. Prasertim Cardinalis. 216. Minister principalis est Cardinalis Superintendens. 217. & seq. Datararius vel Pro-Datararius. 219. Vice-Cancellarius. 220. & seqq. Penitentiararius. 224. Auditor Camera. 225. Auditores Rota. 226. Jurisdictionis Ecclesiasticæ exercetur Roma. 227. & seqq. In Congregatione Consistoriali. 231. Sancti Officii. 232. Sancti Concilii Tridentini.

Interpret. 233. & seq. Super negotiis Episcoporum & Regularium. 235. Jurisdictionis & Immunitatis. 236. & seq. Rituum. 238. & seq. Indiciis librorum. 240. Examinis Episcoporum. 241. In signatura gratiæ. 242. Et justitiæ. 243. In Rota. 244. & seqq. Recensentur effectus summæ Jurisdictionis. 248. & seqq. Explicatur, quid sit loqui ex Cathedra. 253. & seqq. Tollitur instantia. 255. & seqq. Opponentur & solvuntur varii tex-
tuum.

§. I.

De Ministris, per quos Summa Jurisdictio Ecclesiastica exercetur.

- 213 Primis Ecclesiæ Catholicæ temporibus, quando numerus fidelium erat exiguus, Ethnorum persecutio in Christianos continuo deserviebat, ac non alius S. Pontificibus locus aut tribunal, quam criptæ & speluncæ, suppetebat, quævis ferè negotia, causasque spirituales & Ecclesiasticas per se ipsos expedierunt; habitò subinde cum Episcopis consilio, missisque epistolis, ad decidenda, si quæ dubia proponebantur à fidelibus, extra urbem viventibus. Card. de Luca in Relat. Cur.
- 214 Rom. disc. 4. n. 1. Succrescente fidelium cotu, præter alios Clericos in adiutorium fuerunt assumpti Cardinales, tanquam Consilarii & Ministri Papæ, per quos Jurisdictio Ecclesiastica tam in urbe quam extra administrari
- 215 cepit. Idem Card. d. l. n. 2. Adhuc magis florente, ac post baptismum Constantini Magni maximis incrementis auctà Ecclesia,

Ministri Papales & multitudine, & auctoritate præeminuere. Atque ut nihil memorem de temporibus antiquioribus hodie I. Cardinales faciunt & constituunt Senatorem Consistorium Papæ, sedent in Congregationibus, eorumque consilio majoris momenti causæ discutuntur; ut in §. seq. videbimus.

II. Solet Pontifex deputare Cardinalem suum perintendentem, veluti suorum Ministrorum Principem; qui quidem Jurisdictionis & Potestatis principaliter exercet quoad negotia politica in statu Ecclesiastico locisque, temporaliter Papæ subiectis; nihilominus aliæ quoque causæ ex omnibus mundi partibus, non tantum ab Episcopis, Metropolitanis, & Legatis Sedis Apostolicæ, sed etiam à Regibus, Princepsibus, & eorum Legatis ad ipsum referuntur. Card. de Luca in Relat. Cur. disc. 6. num. 7.

- 217 III. Habet S. Pontifex Datarium aut Prodatarium, per quem in sua Dataria seu tribunali expeditionis, gratias, actus concessas, declarat & exequitur; qui proinde oraculum mentis Pontificis, cujus dicto scriptoque standum est, appellatur. Dicitur autem Datararius, qui ex ordine Prælatorum; Pro-Datararius vero nominatur, qui ex Collegio Cardinalium ad istud munus assumitur. Card. de Luca cit. l. disc. 9. n. 18. & seqq. P. Plettenberg in Notitia Congregat. & Tribunal. Cur. Rom. cap. 9. num. 2. & seqq.
- 219 IV. Cancellariæ suæ præficit S. Pontifex Cardinalem Vice-Cancellarium, cujus auctoritate omnia dirigitur juxta regulas Cancellariæ, executioni dantur decreta consistorialia, signantur Bullæ (si per breve sub annulo piscatoris non emanent) &, quidquid de illorum expeditione controversum occurrit, deciditur. Card. de Luca cit. l. disc. 10. per tot. Plettenberg d. l. cap. 10. §. 1.
- 220 V. Constituit S. Pontifex Cardinalem Penitentiarium, qui in foro interno vel Sacramentali potissimum exercet potestatem clavium, ac per se suosque substitutos absolvit
- 221 penitentes, & penitentias dicit. Concedit insuper dispensationes in irregularitatibus occultis, & revalidatione Matrimonii, cum im-

pedimento occulto contracti; dilatat & commutat vota simplicia; rehabilitat ad beneficia & dignitates. Quandoque tamen indultæ per Penitentiarium gratia tantum proficiunt in foro conscientie, subjunctâ clausulâ in foro conscientie tantum; quandò vero profunt in utroque foro. Illud maxime contingit apud personas Sæculares, in quarum favorem dispensatio solum in casibus occultis indulgetur; hoc frequentius accidit apud Regulares, quibuscum etiam in casibus publicis & in utroque foro dispensatur. Vid. Card. de Luca Relat. Cur. disc. 12. Plettenberg cit. tr. cap. 5. §. 1.

VI. à sua Sanctitate designatur Auditor Camera, ad quem, ceu Judicem ordinarium, in causis Ecclesiasticis appellatur ex toto terrarum orbe; quive non tantum amplissimâ Jurisdictione civili-canonica, sed etiam criminali est instructus. Plettenberg cit. l. cap. 14. §. 3.

VII. Sunt Auditores Rotæ, qui causas, in universo mundo inter Christianos & fideles controversas, per modum Judicum delegatorum suscipiunt & terminant. Card. de Luca in Relat. Cur. disc. 32. n. 3. & seqq. Plettenberg d. l. cap. 11. num. 1. De Ministris aliis constabit ex §. seq.

§. II.

De Loco, in quo Summa Jurisdictio Ecclesiastica exercetur.

- 226 Quamquam nullus sit in orbe Christiano locus, in quo Summa Jurisdictio Ecclesiastica suum vigorem non exerat; attamen quoad formam & modum procedendi locus competens est Roma, ibidemque erectæ Congregationes, Tribunalia, Judicia, & Dicasteria.
- 227 Ex Congregationibus eminet illa, quæ Consistorialis seu Consistorium dicitur; atque in Palatio Apostolico, in præsentia omnium Cardinalium, præsidente Summo Pontifice, celebratur. Proponuntur hic juxta modernum stylum non aliæ causæ, quam non-contentiosæ, & gratiosæ; nominatim agitur ibidem de creatione novorum Cardinalium; de provisione Dignitatum majorum, Patriarchatum, Archi-Episcopatum, Episcopatum, & quandoque Regularium Abbatiarum; de missione Legatorum ad aulas Principum; de erectione novarum Ecclesiarum, Cathedralium aut Metropolitanarum &c.
- 228 Quodsi controversia vel oppositio in una vel altera causa emergat, antequam in pleno Consistorio terminetur, particularis quædam Congregatio, cum deputatione quorundam Cardinalium & aliorum Prælatorum, propriè Consistorialis appellata, à Pontifice indicitur. Card. de Luca in Relat. Cur. disc. 5. num. 15. & seqq.
- 230 Post Congregationem Consistorialem I. est Congregatio S. Officii seu universalis Inquisitionis, consistens in copioso Cardinalium, aliorum Prælatorum, quin & Religiosorum numero;

ac eum in finem instituta, ut in hæreticos, apostatas, maleficos, sacrilegos, prædicores aut defensores scandalosorum propositionum inquirat, ac ulteriorem processum continuet. Plettenberg in Notit. Congregat. cap. 17. §. 3.

II. est Congregatio Cardinalium. S. Concilii Tridentini Interpretum: ne enim cullibet fas esset, commentarios aut glossas ad idem Concilium edere, specialitè erecta fuit Congregatio, à qua, quidquid ambiguum est circa intellectum Concilii, vel materiarum, inde pendendum, declaratur; eaque declaratio, sin forma authentica possit exhiberi, cum subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, vim Legis obtinet. Card. de Luca disc. 15. à n. 6. Plettenberg cap. 18. §. 1. n. 4. & seqq. & §. 2. num. 4. & seqq.

III. est Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium præposita: quando enim oriuntur controversiæ inter Episcopos, aliosve Prælatos, Officialis aut subditos ex una, & Regulares ex altera parte, hiq; se gravatos ab illis conqueruntur, ad hanc Sacram Congregationem, quæ componitur ex 24. Cardinalibus & uno Prælo Secretario, recurretur, ac sine strepitu & forma judiciali, solâ veritate facti inspectâ, ac informatione secreta & extrajudiciali petità, controversiæ definiuntur. Controversiæ verò, quæ concernunt ipsosmet Regulares inter se, à propriis Judicibus sunt terminandæ; nisi subditus aliquis à Superiore se gravatum sentiat, à quo non potest ulterius appellari. Card. de Luca disc.

- disc. 16. à num. 7. & à num. 16. Plettenberg cap. 18. n. 5. & 8.
- 235 IV. est Sacra Congregatio *Jurisdictionis & Immunitatis Ecclesiasticae*, ex aliquot Cardinalibus & Prelatis, pro arbitrio Papæ, in Apostolico Palatio coadunata: ad hanc causæ, tangentes Immunitatem Ecclesiasticam, localem, personalem, & realem, pertinent. Card. de Luca disc. 17. n. 4. & seqq. Plettenberg cap. 20. num. 2.
- 236 V. est S. Congregatio *Rivum*, in qua conveniunt partim Cardinales, partim alii Prælati & Doctores, ut non solum negotia non contentiosa, meras v. g. cæremonias, ritus, Officium Divinum &c. concernentia; sed etiam contentiosa, præcedentiam v. g. inter Clericos Sæculares & Regulares in functionibus aut processionibus publicis &c. controversiam, summarie discutiant. Quamquam subinde Canonizatio Sanctorum huic ipsi Congregationi quælionem & cognitionem faciat. Card. de Luca disc. 18. n. 3. & seqq. n. 14. & seqq. Plettenberg cap. 21. n. 3.
- 238 VI. est S. Congregatio *Indicis librorum*, cui inter sunt tot Cardinales, quot deputaverit Pontifex, unum cum Secretario, ac duodecim Consultoribus, diversorum Ordinum Religiosis, è quibus primarius est Magister S. Palatii ex Ordine D. Dominici. Cognoscit illa de libris, aut in Indicem jam relatis, aut primum editis, sed doctrinam hæreticam, noxiã, vel scandalosã refertis. Card. de Luca disc. 19. n. 14. & 15. Plettenberg cap. 22. n. 2. & 3.
- 240 VII. est S. Congregatio *Examinis Episcoporum*, ad quam pro examinandis Episcopis Italiae, noviter creatis, tum Cardinales, tum Prælati ac Regulares variorum Ordinum deputantur. Card. de Luca disc. 31. per tot. Plettenberg cap. 23. apud quos Autores plures alie Congregationes de *statu Regularium*, de *eorum reformatione*, de *propaganda fide* &c. videri possunt.

Præter has Congregationes est tribunal seu signatura Gratiæ & Justitiæ. *Signatura Gratiæ* præest ipsemet S. Pontifex, & in consilium adhibet plerumque duodecim Cardinales, & duodecim Prælatos circa res gratiæ, quæ contradicentem habent, aut alias sine speciali causa non solent concedi. Card. de Luca disc. 30. n. 5. 11. & seqq. *Signatura Justitiæ* præest unus ex Cardinalibus, singulariter à S. Pontifice delegatus, adjunctis habens duodecim Prælatos, quorum vota non tantum consultativa, sed etiam decisiva sunt circa res justitiæ, quando nempe petitur commissio causarum, appellatio, restitutio &c. vel agitur de fori competentia. Card. de Luca disc. 31. n. 2. & 3. Plettenberg cap. 8. n. 2. & 5.

Superest celebratissimum Tribunal, *Rota Romana*, in qua per 12. Auditores, ab Imperatore ac Regibus nominari consuetos, omnis generis causæ ventiliari & decidi solent, ad eò quidem, ut Auditores singuli, ad singulas causas examinandas constituti, Jurisdictionem delegatam; ipsam et verò *Rota*, seu totum auditorium Jurisdictionem Ordinariam habeat. Card. de Luca disc. 32. per tot. Plettenberg cap. 15.

§. III.

De Effectu Summæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

- 244 **E**ffectus, quos sibi proprios & formales pro ducit Ecclesiastica & Summa Jurisdictio, sunt sequentes. I. enim sine discrimine personarum pro ducit obligationem sequendi & parendi in omnibus, quæ intra proprios limites à Summo Jus dicente sancita & decisa sunt, per cap. *Canonum 1. de Constitut. cap. omnes Principes 4. de M. & O. Extravag. unam sanctam ead. 245 inter commun.* II. excludit omnem dispensationis aut relaxationis remedium, ab aliquo inferiore interponendum, excepto casu, quem in *axat. de Jure Leg. cap. 5. n. 256.* exposuimus. 246 III. impedit, ac tollit omnem appellationem per cap. *ipsi sunt 16. & seqq. IX. q. 3. & dicta supra perius in num. 85.* IV. infert necessitatem, eas, quæ ex Cathedra definit Pontifex, credendi. Recolantur dicta in §. 1. sect. 3. 248 Sed quandònam Pontifex ex Cathedra loqui censetur? Interrogas.

universali amplectendam præscribit, aut præcipit, non dicitur ex Cathedra definire. Nec credas, hanc loquendi formulam heri aut nudius tertius natam, vel Divinis paginis esse peregrinam. Nam in antiquo Testamento non credebantur Summi Sacerdotes ac Oraculo Urim & Thummim responsum in rebus ambiguis petere, & reddere populo, nisi prius Ephod, seu vestem suam solennem & Pontificalem, induissent 1. *Reg. 23. & 30.* Nec Christus quamcunque doctrinam Scribarum & Phariseorum, multa privatim absurda & impia docentium, obviari voluit, sed illam, quam super Cathedram Moysis sedentes proponerent Math. 23. Nec etiam omnis Christi actio Divina, sed etiam humana & mixta, seu theandricã fuit. Equè propterea nec omnis doctrina Pontificis ab eo quã tali procedit; indeque nec omnis definitio est ex Cathedra, sed illa, quam, ut diximus, toti Ecclesiæ acceptandam proponit, & mandat. Sfondratus *Reg. Sacerd. lib. 3. §. 1. Reding d. art. 1. disquis. 2. à n. 24.*

Sidicas: S. Pontifex ex nostra confessione fieri posse hæreticum. Resp. I. fieri posse hæreticum personalem ac privatum; non etiam judicialem seu Jurisdictionalem ac publicum

- ficum; nec DEUM permittitur esse, ut alia aqua contra fidem à Cathedra definat. Resp. II. posse fieri hæreticum quoad propositiones Ecclesiæ, jam aliunde notas & promulgatas; non autem quoad propositiones, noviter promulgandas. 255 Ais, Pontifices de factò ex Cathedra definiunt plura, fidei nostræ contraria. Nam Gregorius III. in cap. *quod proposuisti 18. XXXIII. q. 7.* docuit publicè, viro ob infirmitatem mulieris licere aliam conjugem ducere. Gelasius in cap. *permissus 12. de Consecrat. Dist. 2.* tradidit, sine sacrilegii reatu non posse in S. Communionem Corpus Domini sine Calice sumi; & in cap. *à quodam Judæo 24. de Consecrat. Dist. 4.* contra cap. *in synodo 83. & seq. ead. Dist.* tenuit, Baptismum in SS. Trinitatis aut Christi nomine, absque trium Personarum expressione, collatum valere. Alexander III. in cap. *licet 3. de Sponsa duor.* fatetur, à suis prædecessoribus aliquando fuisse judicatum, matrimonium, cum una contractum & ratum, per aliud, cum alia contractum & consummatum, dissolvi. Innocentius III. in cap. *quandò 7. de Divort.* refert, à quodam Antecessore suo, matrimonium ex eo dissolvi posse, judicatum, quòd unus ex conjugibus in hæresim vel gentilitatis errorem labatur. 259 Verùm errores, quos opponis, vel non sunt errores, vel non contra fidem ex Cathedra proposti. Siquidem I. cap. *quod proposuisti* decedit casum infirmitatis tantæ, quæ impotentiam perpetuam ad copulam conjugalem importat, ac, si matrimonium antecedit, illud facit irritum; si sequatur, sed ante consummationem, causam sufficientem dispensationi Pontificiæ præbet. Egregiè Barbosa in *Collect.*

ad cit. cap. II. cap. *comperimus*, ut insinuat illius summarium, loquitur de Sacerdote, quòd *Corpus Christi sine ejus Sanguine non debet accipere*. Aliam responsonem addit Sfondrati d. l. §. 9. num. 11. III. cap. *à quodam Judæo*, præterquam quòd explanationem competentem non respuit, ut videre est apud Reding d. *disquis. 4. à num. 13.* ad casum particularem emanavit, ac in materia quidem, quæ necdum à Sede Apostolica certò decisa est. IV. in cap. *licet non dicit Alexander*, quomodò & qualiter judicaverint sui antecessores in questione propolita de duobus matrimoniis, utrum ratum prius per posterius consummatum dirimatur? Unde valde incertum est, an etiam casu, quò sententiam affirmativam altè memorati Pontifices amplexi fuissent, ex Cathedra sententiam dixerint, ut notat Gonzalez in *Comment. d. cap. licet*. Et cum Wa- genreck in *excessu ejusdem cap.* respondere possem, dissolutionem prioris matrimonii rati per posterius consummatum non tam ex Jure Communi quàm speciali dispensatione Pontificia dirimi; idque tacitò nomine allegatos Pontifices sensisse. V. cap. *quandò similiter* non exprimit, in quo prædecessor Innocentii contrarium, & quomodò, senserit. Quin nec Innocentius III. tanquam fidei dogma definit, non licere conjugi ad secundas nuptias convolare, quando alter in hæresim vel ethnicismum est lapsus, ut colligitur ex verb. *non credimus &c.* tametsi postea Concil. Tridentin. sess. 24. de *Matrim. can. 6.* definitur. Barbosa in *cit. cap. num. 2.* Wagunek *ibid. in pr.* Gonzalez *ibidem in not. num. 2.* P. Wiestner ad *cit. de Offic. Jud. Ord. num. 9.* ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber ad d. *tit. n. 5.*

CAPUT III.

De Jurisdictione Summa Sæculari.

Post Summam Jurisdictionem Ecclesiasticam, proximò locò reponitur & consideratur Jurisdictio Summa Sæcularis, seu Politica; minor quidem Ecclesiastica, major tamen omni aliã. Nam, ut bellè dicitur Innocentius III. in cap. *solicita 6. de M. & O. ad firmamentum cæli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit DEUS duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor: ut, quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontificis & Reges differentia agnoscat. Pro hujus Jurisdictionis dispektione sic*

SECTIO I.

De Essentia, Existentia, & Origine Jurisdictionis Summa Sæcularis.

SUMMARIUM.

1. Nomenclatura Jurisdictionis Sæcularis. 2. Vocatur etiam Jurisdictio Politica. 3. Vocatur P. SCHMIER JURISPR. CAN. CIV. TOM. I. quoque Majestas. 4. Accipitur dupliciter. 5. Desinitur in prima acceptione. 6. Desinitur in secunda.

secunda 7. Est absoluta & illimitata. 8. Non obstante subordinatione ad Jurisdictionem Ecclesiasticam. 9. Ordinatur in finem naturalem. 10. Negantur aliqui Jurisdictionem Sæcularem. 11. & seq. Resistantur. 12. Solvitur ipsorum argumentum. 14. Jurisdictio Sæcularis in se descendit à DEO. 15. Probatur. 16. Quoad modum immediate provenit à communitate. 17. Nonnulla ex Hæresi opponuntur. 18. & seqq. Diluuntur. 21. Jurisdictio in Romano

Imperio quo ad devolutionem adscribenda est Pontifici. 22. Id, quod negant A Catholicis affirmant Catholicis. 23. 24. Nominantur Authores. 25. Affertur ratio. 26. & seqq. Confirmatur assertio per resutationem opinionum adversariorum. 32. Danielis Ottonis censuræ. 33. Sub censuram vocatur. 34. Edditur quadam replica. 35. Declaratur, quid Carolus Magnus acquisiverit per translationem Imperii.

§. I.

De Nomenclatura Summæ Jurisdictionis Sæcularis.

Jurisdictio Summa, quam Sæcularem dicimus, nomenclaturam ducit à sæculo, quod usitatè significacione dicit vel materialiter statum hujus mundi, vel moraliter & metonymicè homines mundanos, temporales beatitudinis ergo in unum congregatos. Nempe, ut tradit D. Hieronymus in cap. duo sunt 7. XII. q. 1. duo sunt genera Christianorum; unum est genus, quod mancipatum Divino officio, & deditur contemplationi & orationi ab omni strepitu temporarium cessare debet, ut sunt Clerici & DEO devoti &c. Aliud genus est Christianorum, ut sunt Laici: laos enim Græcè, est populus Latine. His concessum est, æorem ducere, & terram colere, inter virum & virum judicare, causas agere &c. Adeoque potestas illa, que ut Suprema impetrat hominibus Sæcularibus & Laicis, Jurisdictio Summa Sæcularis (vel etiam Temporalis) appellatur.

2. Alias hæc Jurisdictio vocatur Politica: quia videlicet oritur ex Politia, quæ describitur potest vel ad mentem Bæfildi lib. 1. Polit. cap. 1. §. 6. num. 38. quod sit hominum plurium, ac rerum privatarum, tum inter se communium,

summa cum potestate ac ratione gubernatio; vel cum Clarissimo D. Francisco Ignatio de Wolleren in *Quæst. Oenipont. quæst. 10. n. 3. & 4.* quod sit Harmonicus Republicæ status, seu legitima Republicæ Ordinatio, secundum quam alii præstant, alii subsunt. Constat quippe, ut loquitur *ist.* Author, omnis Respublica ex ista concatenatione, seu parentium & imperantium inter se obligatione & jure; ratione ita distante, ut sint, qui imperent, sint, qui parent.

Vocatur quoque præfens Jurisdictionis species valde frequentè vocabulò *Majestas*, per quam non intelligitur cum Cicerone dignitas aliqua aut amplitudo; nec cum Politicis eminentior illa auctoritas, quæ Principes in animis hominum singularem sibi reverentiam & admirationem conciliat; sed Summa in Civitate seu Republica Potestas. D. Gletle in *Select. Jur. Publici cap. 3. n. 2. & 3.* Ethinc mirabitur nemo, si promiscue in hoc cap. de Jurisdictione Summa Sæculari sermo incidit, eamque aliquando Majestatem, nonnunquam Jurisdictionem Politicam nominaverimus.

§. II.

De Definitione Summæ Jurisdictionis Sæcularis.

Sicut Jurisdictio Summa Ecclesiastica dupliciter potest accipi ex cap. 1. num. 6. pro potestate videlicet regendi Ecclesiam; & pro potestate jus dicendi in causis Ecclesiasticis: ita & Sæcularis accipi potest tam pro potestate regendi Rempublicam Civilem; quam pro facultate jus dicendi in causis Sæcularibus, vulgò die höchste Gerichtshofe.

5. In prima acceptione definitur, quod sit absoluta & illimitata potestas, dirigendi actiones civium in finem naturalem & politicum. Eoque sensu Jurisdictionem Sæcularem consideravimus in *tract. de Jure Leg. cap. 6. & 7. per tot.*

6. In altera acceptione Jurisdictio Sæcularis est absoluta & illimitata potestas, jus de causis civium dicendi, ad naturalem & politicam illorum felicitatem. Quà ratione propinquior intento nostro fit Jurisdictio.

7. Dixi in utraque definitione I. *absoluta & illimitata potestas.* Nam Jurisdictio Summa Sæcularis, eò ipsò, quod Summa sit, nequit in suo ordine pendere, limitari, aut restrin-

gi à Potestate alia, utpote quæ necessariò vel æqualis est, vel inferior; si que ex cap. 1. n. 134. contra æqualem, & multò minùs contra Superiorem, prævalere non valet.

Neque reponas: Jurisdictionem Sæcularem ex cap. 2. n. 152. & seqq. subesse Jurisdictioni Ecclesiasticæ, atque ab ea circumscribi, limitari, & adimi posse. Jam enim serupulus iste in *vid. cap. n. 179.* preceptus est: quia ad hoc, ut Jurisdictio aliqua sit Suprema & Summa, sufficit, eam in suo ordine & genere Supremam & Summam esse; nec requiritur, ut in omni genere & ordine fit talis. Alioquin Suprema potestas in mundo non daretur, cum omnis potestas, quæ homines respiciat, pendeat à Suprema Divini Numinis Majestate. Adeoque, quod Jurisdictio Sæcularis quoad spiritualia subest Jurisdictioni Ecclesiasticæ, non definit esse Suprema in suo ordine, hoc est, quoad temporalia. Confer D. Gletle *cit. l. cap. 3. n. 3.*

Dixi II. *in finem & felicitatem naturalem*

De Origine Summæ Jurisdictionis Sæcularis.

ralem; hoc est, pacem externam, mutua commercia, quietam rerum possessionem, opes, divitias, & cetera, quæ civem quæ talem reddere possunt naturaliter felicem. Et in his

particulis genuinam differentiam, quæ Jurisdictioni Sæculari ab Ecclesiastica discernitur, positam esse, in cap. 1. num. 11. jam prænotatum est.

§. III.

De Essentia Summæ Jurisdictionis Sæcularis.

Fuerunt Authores, quos, suppressò nomine, citat D. Gletle *cit. cap. 3. n. 4.* existimantes, solum DEUM agnoscendum esse pro legitimo Principe; dominatum verò Politicum, quem homines sibi attribuunt, iniquitate plenum esse. Argumentum illorum est: quod repugnet humanæ naturæ dignitati, ut homo, qui ad imaginem DEI conditus, liberate donatus, & soli DEO subiectus est, alium agnoscat Dominum aut Principem, quam DEUM.

11. Verùm, quemadmodum de *Jure Legali cap. 7. à n. 34.* ostendimus tum ex SS. Literis, tum ex ratione, dari potestatem Legislativam in hominibus: quia non tantum in Veteri, sed etiam in Novo Testamento fuerunt Reges, Principes, Judices, potestate Legislativâ instructi: idque ideo, quia Civilis ac Politica Societas nequit dum consistere sine Lege & Jure Societatis: ita quoque ex his principiis non est difficile ostendere, dari potestatem

Jurisdictionis Sæcularis: partim, quia in hac, si largiùs non nihil juxta n. 4. & 5. sumatur, potestas Legislativa radicatur: partim, quia Societas Politica non tantum Leges & Jura desiderat, sed etiam personam publicam, quæ Leges & Jura jam constituta aut explicet, aut applicet ad facta hominum singularia.

Neque visinet argumentum oppositò. Si quidem naturæ humanæ admodum naturale, & conforme est, ut homo, qui congenitum sibi appetitum ad Societatem habet, Leges Communes & Jus non tantum ferri, sed & dici & reddi sibi patiat. Quin etiam, cum ad malum sit proclive humanum ingenium, & genius, Duce, Rectore, ac Gubernatore opus est, quò orbitatum justitiae egressus animus ad limites justitiæ & rectitudinis reeducatur. Confer D. Gletle *cit. cap. 3. num. 5. & 6.* Molinam de *J. & J. tract. 1. disp. 22. num. 8.* Bertrandum de *Orig. Jurisdict. q. 1. num. 1.*

§. IV.

De Origine Summæ Jurisdictionis Sæcularis.

Originem Summæ Jurisdictionis Sæcularis bifariam considerare possumus. Primum in se & abstractè; deinde in specie & concretivè in Imperio Romano. In se & abstractè spectata Jurisdictio Sæcularis, quoad substantiam descendit à DEO ut Authore naturæ; quoad modum verò, quatenus penes unum vel plures residet, immediatè provenit ab hominibus. Hæcque resolutio tam superius in cap. 2. n. 31. quam in *tract. de Jure Leg. cap. 7. n. 37. & seqq.* jam præacta est. Ratio est: quia, dum nullus hominum alteri, spectatà naturâ, subiectus; nullus alteri ad parendum obstrictus est, nequit communicas aliqua ex se ipsa habere Potestatem Jurisdictionis, sed illam ab aliquo Superiore, DEO scilicet, ut Author est Naturæ, emuturare debet: adeoque Jurisdictio Sæcularis, in se & abstractè considerata, descendit à DEO ut Authore Naturæ; juxta textus sacros Prov. 8. ibi: *per me Reges regnant. &c. 1. Petri 2. ibi: subiecti sumus omni humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi, tanquam præcellenti; sive Ducibus, tanquam ab eo missis &c.* ad Roman. 13. ibi: *non est Potestas, nisi à DEO.* Atq; in hoc sensu Reges & Principes scribunt, se ex gratia Divina, non Virtutis Oradendi regnare. Ferdinandus Waizenegger in *disser. Jurisdict. de Imperat. & Imper. cap. 4. num. 41. & seqq.*

Quia tamen populo & communitati liberum erat, Jurisdictionem à DEO concessam vel per unum vel per plures exercere: hinc Jurisdictio quoad modum,

quatenus nempe penes unum vel plures residet, immediatè proficiscitur ab hominibus. Molina *cit. tr. disp. 22. num. 9. disp. 23. num. 17. disp. 26. n. 4. & seqq.* Gletle *cit. cap. 3. num. 10. & seqq.*

E regione incedit Frid. Hornius *lib. 2. de ci-17 vit. cap. 1. per tot.* ac probare intendit, Jurisdictionem Summam etiam quoad modum immediatè à DEO conferri, ab hominibus autem solum personam designari: tum quia in Supremis Principes, ad fastigium est vili quoadque gleba subiectos, tanta sapienterò majestas & gravitas redundat, ut aliunde, quam à DEO promanare prudenter cogitari non possit: tum quia peculiari curâ fovet & servat Numen Principes Supremos: tum quia castigat subinde Reges, si Regnum ab alio, quam Divino collatore provenisse, sibi stolidè imaginentur.

Sed probationes istæ ne quidem semper sunt. Enimverò quod primò dictum de singulari Majestate, quam Reges in primo regiminis ingressu præferre videntur, sæpissimè fallit: vidit namque non solum præteritum, sed etiam antecedentia sæcula Reges & Principes sat multos, qui sine splendore, sine auctoritate, sine veneratione fuerunt apud populum, ac ludibriò magis, quam digni reverentiæ æstimati. Quod secundò de peculiari Numinis curâ propositum, non equidem universaliter procedit: cum exempla sciantur non pauca, quod & Reges alii, & Imperatores

tores Romani, maximè primi, suorum infiditè præmatura obierint fata: sed nec, si universaliter procederet, quidquam evinceret: cum DEUS utique speciali protectione sua honoret, quos suos in terris Vicarios, seu meritorè ad ductum de vindicta Divina, rursus perpetuum non est: quia iustò DEI iudiciò aliqui, qui regnarunt piè, impias hominum manus non evasere; & econtra permulti, qui præfuerunt arroganter, tranquillos regiminis anse numerarunt. Et demum, perpetuum id esse: quid inde contra conclusionem nostram inferat? Peccant gravissimè Principes, si propriis viribus aut meritis attribuant Regnum, quod Supremi Numinis & voluntate, & potestate, & providentià, & vice, administrant; quomodoque deinde ad Regnum pervenerint, successione, electione, consuetudine &c. Confer D. Gletle *cit. cap. num. 9.*

21 Quòd si in specie consideretur Romanum Imperium, negari cum ratione non potest, quòd iurisdicção Sæcularis, quatenus de facto penes Imperatores Romano-Germanicos reperitur, non debeat, quoad devolutionem à Græcis ad Germanos, Romano Pontifici in acceptis re-

22 Ferri. Esto enim, si hæreticos consulat (verba sunt sepe laudati D. Gletle *Select. Jur. Publ. cap. 4. n. 3.*) qui scripserunt hoc & priore sæculò, opinionem negativam turmatim ab iis propagari intelligas, quia scilicet ab hominibus, odiosè in Sedem Apostolicam lividis, sententiis, Christi Vicariis amicis, frustra expectes si tamen Authores Catholicos perlustrare iustitias, sub veillis sententiæ affirmativæ plens agmine eos concedere, advertas.

23 Et quidem, ut refert Card. Sfondrati *Regal. Sacerdot. lib. 1. §. 5. num. 9.* Bellarminus Cardinalis 35. Historicorum testimonis, duodecim Imperatorum, aliorumque Principum, & septem Summorum Pontificum suffragiis probat, autoritate Leonis III. in Carolum M. Romanum Imperatorem ab Oriente in Occidentem annò Domini 800. fuisse translatum. Ipse Card. citatus præter Paulum Diaconum, qui tempore Caroli Magni floruit, ac complures alios probatissimos Historicos, in testes adducit Joannem Cluverium, & Daniele Pareum, utrumque Reformata, ut vocant, Religionis. Subscribit huic placito, contentente calamò, Neoterici, *cit. Card. d. §. 5. per tot. Reding Cathedra Apostol. Art. 1. disquis. 2. n. 92. & seqq. item n. 147. & seqq.* Barboia in *cap. venerabiliem 24. de Elect. n. 2.* Gonzalez in *idem cap. n. 28.* D. Hermannus Hermes in *Essé. Juris Publ. cap. 3. n. 23.* D. Josephus Bernardus Gletle *cit. cap. 4. per tot.* Georgius Ludovicus Lundenstör. de *succession. ac mutat. Imperior. cap. 8. n. 3.* D. Ferdinandus Waizenegger in *differt. Politico-Jurid. de Imperat. & Imperio cap. 4. per tot.* ac novissimè D. Michael Münchmayr in *Jure Publ. Romano-German. cap. 1. pag. 4.*

24 Ratio, quã supposita Historicis fide, assertum

25 Ratio, quã supposita Historicis fide, assertum

probat, hæc est: quia ex *cap. 2. d. n. 148* competit Apostolicæ Sedis iurisdicção indirecta circa causas & negotia temporalia, cujus administracão non tantum homines privatos, sed etiam Principes punire, imò & Principatu privare potest, si eò in perniciem Religionis Catholicæ abutantur. Jam verò temporibus Leonis III. Pontificis, & aliorum Antecessorum, Imperatores Orientis, qui simul Imperium Occidentale tenebant, potestate sua non utebantur, vel certe abutebantur in perniciem Religionis: nam Ecclesiã Romanã continuè Longobardorum invasionebus infestabatur; Græci tamen Imperatores nec auxilium, nec subsidium ferebant: tum quia ipsimet bellò cum Saracenis, Avaribus, Bulgaris, Hunnis, aliisque hostibus erant involuti: tum quia in hæresin iconomachie prolapsi, sevebant acerbis in Catholicos, quàm Ethnici antehac in Christianos, ac Pontificem ipsum sub pœna mortis in hæresin suam pertrahere conabantur. Ne ergo Ecclesiã diutiùs Advocatò & defensor careret, Leo III. potuit utique & debuit Imperium à Græcis auferre, ac nemini iustius quàm Carolo Magno conferre, utpote qui uia cum Patre Pipino non semel fedit feriam fluctuanti Ecclesiæ opitularem attulit dextram, ac Leonem ipsum, malignorum hominum infiditè vix non Pontificatu jam expulsum, defendit, & in Romana Sede stabilivit.

Confirmatur assertum. Imperium Roma-26 no-Occidentale, ex omnium confessione, non semper penes Germanos exiit, sed tempore Caroli Magni ad ipsos demum pervenit. Ergo vel jure belli, vel singulari beneficiò DEI; vel successione hereditariã, vel electione populi; vel donò Imperatorum Orientalium; vel denique autoritate Pontificiã. At qui falsum est I. quòd jure belli pervenerit ad Carolum: nam etsi Longobardos Italiæ Regnò deiecerit, indeque Rex Italiæ cœperit appellari, attamen Imperatoriam Majestatem eò ipsò necdum acquisivit: cum & Gallia, & Hispania, & Anglia fuerint aliquando provinciæ Romanæ, esto illarum Reges Imperatoriò titulò abstinerint; sicut & plures Romanorum provinciæ ad Persas, Parthos, Carthagenenses jure belli transiverunt, absque eo, quòd illi populi Imperium Romanum sibi arrogaverint. Quod etiam in Germania de facto videmus, à qua non una Regio avulsa, salvã nihilominus Imperii & Imperatoris præminentiã. II. tamen DEUS perpæse sub 27 jussu & nomine Regna transfulerit immediatè, veluti testes in Scriptura sunt Moyses, Josue, Gedeon, Saul &c. falsum est, quòd ita Imperium Romanum detulerit Carolus, utpote cum Sacris tabulis hoc fupser articulo nihil insertum legatur. Falsum est III. jure successio-28 nis ad Imperium devenisse Carolum, utpote qui primus omnium Germaniæ Imperatorum non potuit à Patre Pipino, qui non erat Imperator, hereditariò jure Imperium nancisci. Falsum est IV. C prout etiam 29 fatetur

fatetur Plessinger in *not. ad Viriar. lib. 1. tit. 4. n. §. lit. 4.* electione Populi Coronam Imperii Carolo impostam esse: neque enim populo tunc temporis erat, Imperatorem eligendi, potestate omni in Principes per Legem Regiam jam antecederet translata: neque acclamationes illas, quas Populus Romanus Carolo in die natali Domini annò 800. Coronato fecerat: *Pissino, Perperuo, Augusto, à DEO Coronato, Magno, ac Pacifico Imperatori, Vita & Victoria*, autoritativum populi suffragium in designatione Imperatoris, sed potius consensum, approbationem, lætitiã de facto Pontificis demonstribant. Falsum est V. donatione Imperatorum Orientalium Carolo Imperium accessisse: erant quippe, attestantibus Historicis, lætque monstrante Plessingerò *cit. loc.* gravissimè invitò Orientales Principes, quòd partem nobilissimam sui Imperii à se abripi viderent, nec ante annum duodecim à translatione Imperii, quòd Nicephorus sceptorum Orientis tenuit, Carolum Augustum agnoscebant. Nihil ergo superest, quàm autoritas Apostolica, cui translationem Imperii adscribit omnes, qui veritatis amicos, & hostes Pontificis se nõ profitentur.

30 Non equidem me prætereunt illa, quæ cum Conrado Einsidel de *Regal. cap. 1. n. 45.* & aliis suæ sectæ multa cum bile scribit Daniel Otto in *Jure Publ. cap. 5.* respondent nempe esse Pontificios & eorum assentores; qui narrant, Pontificis autoritate ad Germanos Imperium transisse. Sed ego Ottonem, uti & cæteros fidei Orthodoxæ inimicos scriptores, non ridendos, sed commiseratione dignos cœleo, quòd, cum ipsimet negare haud possint, in translatione Romani Imperii Pontificiam autoritatem intervenisse, veluti ipsemet Otto *cit. cap. 5. pag. 88. & seq.* ex Historicis testatum facit, ac in *pag. 95. & pag. seq.* longissimum catalogum antiquissimorum Historicorum, translationem hanc S. Pontifici adscribentium, recenset; nolint tamen in laudabilissi-

mo hoc factò gloriam Pontifici relinquere, Vatinianò, ut ajunt, odiosè in Sedem Vaticanam exasperati, & excecati. Credunt illi potius suæ sectæ Authoribus, qui de rebus, multis sæculis ante se gestis, juxta proprium arbitrium testantur; quàm Authoribus antiquis, qui eò tempore, vel non multò post vixerunt, & scripserunt, quò acciderunt res scriptæ.

Nec dicat eum eodem Ottone Imperium, 33 cum nunquam fuerit penes Pontificem, non potuisse Carolo Magno conferri. Neque enim opus est, ut Imperium ipsum penes Pontificem fuerit, sed sufficit, quòd Jurisdicção Ecclesiastica possit se ad objecta temporalia scilicet extendere, ut exigente Bonò Ecclesiã possit Regna de gente in gentem, de persona in personam transferre, sicut Magistratus Politicus ex virtute Jurisdictionis potest dominium ab uno invito in altum ex causã publica transferre, esto dominium nunquam penes Magistratum exiterit. Videatur *ir. de Jure Leg. cap. 1. d. n. 159.*

Si scisciteris: quid ergo Carolus Magnus; 4 per translationem Imperii acquisiverit? Respondebit I. D. Gletle *cit. l. n. 37.* & cum eo D. Franz in *Quæst. ex Universo Jure q. 13. n. 9.* Carolo accessisse titulum Imperatoris, & prerogativas honoris inter omnes orbis Christiani Principes; quin etiam jus in reliquis Romani Imperii eidem fuisse partum.

Respondebit II. Card. Sfondrati *cit. lib. 1. §. 5. num. 9. pag. m. 195.* præter titulum & insignia Imperatoris (quod nomen nemini unquam, præter Romanos Principes, & qui Romanis Principibus in dignitate successores erant, tributum esse, notat idem Cardinal. *pag. 192.* Carolum id acquisivisse, ut ea ipsa, quæ jam habebat, non jure tantum Regis & Patrii Romani, ut ante Coronationem; sed etiam Imperatoris & Augusti retineret, videlicet cum prerogativis præcedentis, superioritate, aliisque, si quæ Imperatoribus erant propria &c.

SECTIO II.

De Subjecto Summæ Jurisdictionis Sæcularis.

SUMMARI A.

36. Subjectum summæ Jurisdictionis. 37. Alitvum. 38. Diversum est pro ratione status. 39. In Democratia est penes univèrsam populam. 40. Quanam Republicæ forma perfectior? Remissive. 41. Assertum primum argumentum contrariè Pontifici, quòd non habeat Supremam Jurisdictionem. 42. & seqq. Assertum secundum, & impugnatur donatio Constantiniana. 43. Assertum tertium. 44. Assertum eadem Jurisdictionis. 45. Probatur ex cap. fundamenta 17. de Elect. in 6. 50. Additur ratio. 51. Resp. ad primum argumentum contrarium. 52. Probatur responsio. 53. Resp. ad argumentum secundum. 54. Firmatur responsio. 55. & seqq. Donatio Constantiniana vindicatur. 60. Ultimum argumentum conciliatur. 61. Olim

Imperator in Imperia Summam Jurisdictionem habuit. 62. Et adhuc habet. 63. & seqq. Multifaria rationes adducuntur. 68. & seqq. Proponuntur, & diluuntur objecta. 72. Sententia Domini Gletle explicatur. 73. Jurisdicção Imperatoris non extendit se ad totum orbem. 74. Imperator exerceat Jurisdictionem in suis tribunaliis. 75. Tale est Collegium Imperiale Anticum. 76. Quòd est Collegium. 77. Judicii. 78. Et Assessorum. 79. In Aula Cæsarea. 80. De causis Imperii susciuntur. 81. Aliqui volunt, Jurisdictionem hujus Judicii esse delegatam. 82. Alii dicunt, esse ordinariam. 83. Eligitur posterior sententia. 84. Defenditur concurrentia Jurisdictionis cum Camera. 85. Probatur. 86. Instancia

reprimatur. 87. Simile Judicium est etiam Camera. 88. & seqq. Describitur. 93. Habet Jurisdictionem ordinariam. 94. Sed summa- rive.

§. I.

Quibus in genere Summa Jurisdictio Sæcularis competat?

- 36 Subjectum, in quod passivè exercetur Jurisdictione Summa Sæcularis, in genere sunt omnes subditi, intra limites Regionis aut Imperii, pro quo concessa Jurisdictione, existentes.
- 37 Subjectum, quod activè Jurisdictionem Summam Sæcularem exercet, pro multiplici Rerum publicarum & Politiarum forma, est multiplex. Notum siquidem, & crebriores Publicarum suffragio comprobatum est, dari triplicem formam Reipublicæ, seu Politicæ, Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam. Monarchia confurgit, quando Summa imperandi Potestas uni committitur. Aristocratia obtinet, quando Supremum Imperium penes plures, quos Optimates dicunt, existit. Democratia viget, quando universus populus imperat. Ubi ergo status est Monarchicus, Summa Jurisdictio Sæcularis uni & soli Summo Principi competit; ubi status Aristocraticus, competit Optimatibus seu Senatoribus; ubi Democraticus, competit universo populo.
- 39 Obloquitur equidem Hornius lib. 3. de Civ. cap. un. atque statui Democratia Summam

Potestatem accommodari posse, negat ex variis argumentis, à D. Gletle in *Select. Jurispubl. cap. 3. n. 21.* relatis & refutatis, id probare conatus. Verùm eadem proorsu ratione, quâ statui Monarchico & Aristocratico tribuitur Summa Potestas, etiam statui Democratico erit tribuenda: tum quia communitas perfecta, qualis utique est Democratica, requirit Jurisdictionem: tum quia in statu Democratico nemo alius est, qui jura & leges præscribat, jus dicat, sententiam ferat, ac populus universus: tum quia Respublica libera, cum nemini subdit, jura Suprema ipsamet habere debet.

Ceterum acriter disputant Politici: quidnam magis expedit, Jurisdictionem Supremam penes unum vel plures existere? sive, ut communiter loquuntur, quem ex memoratis Reipublicæ formis alteri preferendam sit? Qua in rem mentem meam obiter expressi in *cap. 2. n. 89.* proque ulteriori dilucidatione consulendus suadeo Joannem Braum in *lib. 2. Var. Amanit. Quæst. 1. D. Gletle d. cap. 3. n. 20. & seqq. D. de Wolleren in cit. *Quæst. select. Oenipont. quæst. 10. n. 5. & seqq.**

§. II.

An S. Pontifex Supremam Jurisdictionem Sæcularem habeat in suo territorio?

- 41 Item hic Pontifici conjurato agmine moventur Antipapistæ, omnem ei Sæcularem Jurisdictionem adimere præsumentes. Arguunt illi cum Einsidel *tract. de Regal. cap. 1. n. 35.* contra Pontificem Romanum primò: quòd Regnum ipsius, sicut Christi, non sit de hoc mundo; ac Vicarius non gaudeat ampliori Potestate quàm principalis; neque alia vivendi ratio debeat esse familiaris Papæ, præter illam, quam Petrus & Apostoli, rerum temporalium affluxu destituti, tenebant.
- 42 Secundò: quòd Jurisdictione Sæcularis & Suprema, si qua esset Pontifici, ab aliquo Supremorum Principum debuisset fuisse collata, & fortè à Constantino Magno. Verùm, ut scribit Daniel Otto *Juris Publ. cap. 4. pag. 82.* donatio, quæ Constantino tribuitur, *falsæ, fictitiæ, commentitiæ, argue ementia est.* I. quia eandem aliter Leo IX. in *epist. 1. ad Michael.* aliter Melchisedes in *cap. futuram 5. XII. q. 1.* aliter Balsamon in *Phetia Nomenclanon. tit. 8. cap. 1.* aliter Nicolaus III. in *cap. fundamenta 17. de Elect. in 6. & c.* aliter alii proponunt, ita ut vel hoc nomine, ob diversas & sibi mutuo repugnantes formulas, donatio illa meritò suspecta sit.
- 43 Arg. I. *scriptura 14. Cod. de Fide instrum.* II. quia nulla usquam in toto Jure Civili huius donationis fit mentio, quæ certè, tanquam notabilis, specialiter notari debuisset. III. probati Auctores, quotquot de rebus gestis Con-

stantini scripsere, hujus donationis ne verbulò faciunt mentionem &c. IV. quia Syl-vestri mortuus est annò Christi 330. Atque dicunt, hanc donationem factam esse eò annò, quò est baptizatus, annò Christi 337. Facta igitur erit Sylvestro septimò annò, postquam jam mortuus erat. V. quia Constantinus 46 tribus suis filiis Imperii corpus divisit, ac Constantinus Occidentalium partium, Constantinus Orientalium, Constantinus interjectarum Principes constitutus est.

Tertiò: quòd præscriptio temporis immemoralis, quæ firmitatem Jurisdictioni tribuere posset, nequeat consistere sine bonâ fide; Pontifices verò in usu Jurisdictionis bonam fidem nunquam habuerint: idèoque in hos (sic pestiferò & audaci calamo scribit Swederus in *Introduct. ad Juspubl. part. gen. cap. 4. n. 40.*) Imperator noster perpetuam manûs injectionem, non fecus ac Dominus in servum Barbarium Philippum habeat.

Verùm Summo Pontifici Jurisdictio- nem Sæcularem, ac Supremam quidem, consistare in Patrimonio D. Petri, sui terris ipsi temporaliter subiectis, DD. Orthodoxi pro indubitata veritate supponunt potius, quam probat necessarium censent cum Covarruv. *lib. 4. var. resolut. cap. 16. sub. n. 8. v. secundò.* Molina de *J. & F. tit. 1. disp. 29. n. 9. P. Engel ad tit. de Ad. & O. num. 11. & seqq.* Ferdin-

Ferdinando Waizenger in sepe cit. *differt. de Imperat. & Imp. cap. 3. per tot.* Clarissimo D. Dominico de Bassis in *disp. de Jurisdic. thesaur. num. 3.* Textus pro eadem veritate sunt in *cap. cum ad verum 6. & seq. Dist. 96. cap. si duobus 7. §. deniq. de Appellat. cap. per venerabilem 13. Qui filii sint legit. cap. fundamenta 17. de Elect. in 6. libi: ne autem ipsa Mater Ecclesia in congregatione & pastura fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis adjuta, spiritalibus semper proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse concipitur, ut occasionaliter Constantini Monarcha, à DEO provisus, sed curata baptismalibus fomentis infirmata, quandam quasi adiceret ipsi Ecclesie firmitatem: qui quarto die baptismi unâ cum omnibus Sacerdotibus, & universo Senatu, Optimatibus etiam & cuncto populo, in persona Beati Sylvestri sibi Romanam concedendò urbem relinquens, ab eo & successoribus ejus per pragmaticum consuetudinem disponendam esse decernens in ipsa Urbe NB. utriusque potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus declararet &c.*

Et ratio est: quia, ut insigniter argumentatur Dominicus Sotus de *J. & F. lib. 10. q. 4. art. 5.* potentia temporalis ac divitiæ, licet non fuissent Ecclesie necessariæ, si omnes Episcopi, Prælati, & Sacerdotes exemplò SS. Petri, Augustini, Martini, Nicolai, benevolentiam ac reverentiam populi, vitæ sanctimoniam demereri potuissent: quia tamen in tanto numero hoc sperari non poterat; idèò Ecclesie aliò modò consulendum erat: idque etiam, ut ejus existimatio cresceret apud homines, quorum cognitio, ut à sensibus incipit, ita magis æstimat Ecclesiam, splendore rerum externarum fulgentem. Potestis verò & concessis bonis temporalibus, longè maxime concedebat, ut Jurisdictionem Supremam Sæcularem habeat: tum ut Majestas Ecclesiastica ex consorcio Imperii Politici incrementum quoddam sumeret: tum, ne vilesceret persona Pontificis, si Principibus Sæcularibus in judicio ratione temporalium sublimitatem suam inclinare deberet: tum quia certior ac magis perpetua erat speranda possessio bonorum, quorum omnis Jurisdictio ad Ecclesiam pertinet. Quod ipsum Nicolaus III. in *cit. cap. fundamenta* consideravit, non justum, asserens, ut, ubi Sacerdotii Principatum, & Christiana Religio Caput Ecclesie Imperator instituit, illic Imperator terrenum habeat potestatem: quia magis ipsa Petri Sedes, in Romano jam proprio solo collocata, libertate plena in suis agendis per omnia poterit, nec ulli subesse homini, quæ ore Divinò emittis dignoscitur esse prælatæ. Inspice ipsum *cap.*

Argutias Anti-papistarum asserere veritati tam parum officere, ut etiam conferant multum, mox patet. Enimverò quòd Christus Dominus Jurisdictionem temporalem habuerit, præter varia Scripturæ loca, manifestè docet *cap. 9. Isaie*, ubi de Christo vaticinatur Propheta: *factus est Principatus super humerum ejus; vocabitur nomen ejus Admirabile, Consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri sæculi;*

Princeps Pacis, multiplicabitur ejus Imperium, & Pacis nò erit finis: super Solim David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & iustitia amodo & usque in sempiternum. Latè Molina *cit. ir. disp. 28. n. 12.* Quòd autem Jurisdictione hæc usus non fuerit, non facit, quòd uti nequeat Pontifex, uti constat ex *cap. 2. n. 109.* cum, ad Divinam virtutem apertius demonstrandam, noluerit Ecclesiam humanò modò & mediò in primis quasi incunabilis instruere & extruere: quæ ipsa tamen virtus ex hoc enituit clarius, quòd Ecclesia, tam tenuibus initiis cepta, tantà & tam crebrâ tyrannide impugnata, in tantum excreverit, ut velut medullam humanæ potestatis, scilicet Romam & provincias illic pertinentes, possideret, etiam portis inferi non prævalentibus; & verè implemum sit illud Isaie *cap. 61. §. 6. vos Sacerdotes Domini vocabimini: ministri Dei nostri dicitur vobis: servitadine Gentium comedetis, & in gloria carum (sanctâ gloria, & gloriosâ sanctitate) superbiatis.* Martha de *Jurisdic. p. 1. cap. 30. & seq. P. Engel cit. loc. n. 14.*

Quoad alteram argumetum de Donatione Constantini ipsemet Daniel Otto negare non potest, quòd ea à plurimis Viris, & sanctitatis, & doctrine, & historiæ laude celeberrimis defendatur, cum cit. antè loc. sit multos ipsemet adducat; pluresque alios referat Covarruvias, Waizenger, & Engel in *num. 46. citati.* Habet hæc donatio fundamentum non solum in Jure Canonico in *cap. Constantinus 13. Dist. 96. cap. futuram Ecclesiam 15. XII. q. 1. cap. fundamenta Ecclesiarum 17. de Elect. in 6.* cujus formalia jam in *n. 49.* recitata sunt; sed etiam in ipso donationis instrumento, cujus Auctores allegati meminerunt. Quia & si à Constantino reapse facta non fuisset hæc donatio, factam tamen ante confirmationem ab alio evidentè docet historia, ex qua liquet, Ecclesie Romanæ jam ante tempora Pipini & Caroli Magni prædicia, urbes, oppida, quoad temporalia paruisse; eaque de causa Pipinum & Carolum ad restituenda à Longobardis & aliis ablata evocatos, non tantum reddidisse, quod ablatum erat, sed etiam adjectisse, quæ fortè necdum erant in pleno Ecclesie Romanæ dominio; hæcque se reddita, adjecta, vel donata, à subsequentibus Imperatoribus fuisse confirmata *cap. ego Ludovicus 30. Dist. 63. Clem. un. de Jurisjur. circa fin. Card. Sfondrati Regal. Sacerd. lib. 1. §. 5. sub num. 4. pag. m. 177. pag. 189. & sub n. 12. pag. 200.*

Quòd verò ex *n. 42.* Pontifices & Historici diversimodè proponant donationem Constantini, nil conducit Adversariis: nam etiam de creatione mundi, de ædificatione Romæ, de Regnorum & Provinciarum origine, perpetua lis est inter Scriptores, quò tempore, quò annò, quâ ratione hæc facta sint, erit facta esse negari non possit. Aliud siquid est. Auctores esse diversos; aliud, esse adversos & contrarios: ipsosque Jureperitos non fugit, instrumenta, præsertim antiqua, & præsumptiva, & ut

talia defendi debere, quamdiu probabili alia ratione conciliari possunt per cap. inter dilectos 6. de Fide instrum. §. ceterum prope fin. P. Engel ad eund. tit. n. 55. Barbosa in cap. ceterum Joannes 10. eod. tit. n. 14. Gonzalez ib. n. 5.

56 Equidem (ut opponitur in n. 24.) in Jure Civili scriptum non est, an & quid a Constantino Romanæ Ecclesiæ donatum sit. Sed quid tum? Etiam reliqua Constantini facta Juri Civili inserta non sunt: an ergo minus credibilia, aut idè non facta censentur? Et, si clarè Leges Civiles de hac donatione loquerentur, tam parum crederent A catholici, quam parum credunt, quæ de primatu Romani Pontificis, de Ecclesiæ Catholicæ unitate, de fidei articulis &c. in tit. 1. 2. 3. & 4. lib. 1. Cod. expressa sunt.

57 Similiter non refert, quòd juxta num. 44. Scriptores rerum, à Constantino gestarum, non meminerint hujus donationis, sufficere enim, quòd meminerint alii, & illi non negaverint: quia nemo tam peregrinus est in Jure, qui nesciat, in antiquis ipsam transacti temporis intercapedinem locò probationis cedere. Belsoldus part. 3. conf. 93. num. 50. & seqq. 104. n. 2. & seqq. Et fortassis memorati Scriptores de donatione idè siluere, vel quia ejus notitia tam erat publica, ut mentione haud egeret; vel quia non statim ad effectum pervenerat, Gentilibus, Hæreticis, Gothis, & Barbaris, continuè in Italia grassantibus.

58 Præterea, ut notat Waizenegger cit. supra loc. n. 39. historice veritati adversatur, quòd (veluti in num. 45. falso suppositum est) annò 337. Constantinus fuerit baptizatus: ut enim Baronius ad annum Christi 324. contra Eusebium hominem Arianum & alios eruditè disputat, & ostendit, Constantinum eòdem annò 324. lustrali lymphâ Romæ fuit expiatus à Sylvestro.

De testamento Constantini contra n. 46 59 ait P. Engel cit. l. sub n. 12. in fin. authenticè non constare; imò potius & magis specificè de donatione, cujus verba formalia apud Auctores habentur. Addit ex Boëtio Waizenegger d. l. num. 36. I. potuisse Constantinum, potuisse ejus filios, cæterosque ejus successores, donatione jam factâ, dominari, quòd exillarent, Imperium primum non esse donatum. II. eos imperasse, nonut Imperatores, sed ut S. Pontificis Vicarios ac Praefides. III. potuisse causas intervenire multas, cur successores Constantini Italicæ & Occidentis imperaverint, vel Pontificum tolerantiam, vel Imperatorum violentiam, vel necessitatem temporum, quæ tamen non poterint juri Ecclesiæ Romanæ quidquam derogare.

In tertia argutia, in n. 48. propositâ, nescio, quò colore à quoquam, artem boni & æqui proficente, S. Pontifex possit argui malæ fidei possessor, qui patrimonium D. Petri per tota sæcula exitibus, si non veris, saltem coloratis juxta num. 52. & 53. inconcussè possedit. Quando Ethnici, Gentiles, Turcæ &c. provinciam, Christianis ereptam, per tempus immemorale possident, absque contrariâ ab ipsismet A catholicis præsumuntur esse bonæ fidei possessores. Et Pontifex, quem Christianum saltem esse non dissentent, tam benignâ præsumptione indignus sit? Rectissime D. ab Andler in Jurisprud. publ. lib. 1. tit. 5. p. 1. sub n. 12. equid, ait, de donatione Constantinianâ, & externò splendore, opulentiaque contra Pontificem invidiosè disputatur? Si possessio immemoralis jura possessoris demonstrat; Pontifex causam evicit. Nec contra illum, sed contra Ecclesiam & honorem DEI, cui hæc omnia sacrata, instruitur hæc pugna.

§. III.

Utrum in Imperio Romano-Germanico Summam Jurisdictionem habeat Imperator.

61 Si respiciamus ad tempora Caroli Magni & Successorum, non est ambiguum, Imperatori concessisse in Imperio Summam Jurisdictionem & Majestatem. At verò, si sæcula illa, quibus Imperium cepit esse electivum, ac præcipuè ætatem Caroli IV. quæ celebris illa sanctio, Aurea Bulla, est condita, attendamus, non paucis in mentem venit, Jurisdictionem & Majestatem Cæsari minutam, ac, Monarchicâ Reipublicæ formâ immutatâ, Statibus Imperii, præprimis verò Electoribus, fuisse communicatam. Ita Bodinus de Republ. lib. 2. cap. 6. Severinus de Mozambano de Statu Imp. scilicet 6. Sæderus part. gen. cap. 4. n. 49. & seqq. & cæteri A catholici Scriptores, qui nunquam Imperatori favere solent, præterquam si contra Romanum Pontificem agatur.

62 Sed verius & humanius sentiunt, qui Jurisdictionem Supremam, Majestatem, ac Potestatem

Monarchicam soli Imperatori adhuc hodie consignat. Ita ex A catholicis Petrus Heigius p. 1. quæst. 2. à n. 18. Reinck de Reg. secul. lib. 1. classe 2. cap. 2. n. 52. & seqq. Ita D. Hermes in selsis. Jurisprud. cap. 3. num. 31. D. Waizenegger cit. differt. de Imperat. & Imper. cap. 7. n. 6. Joannes Braun in lib. var. amant. thesi 7. pap. 8. 1. & seq. & pap. 93. & seqq. Clariss. D. de Wolleren in quæst. Salisburg. q. 2. à n. 21. Rationes sunt I. quia olim Summa Jurisdictionis in Imperio solius Imperatoris erat propria; neque per constitutiones Imperii vel Capitulationes eidem, ut postea videbimus, adempta, aut translata fuit: & consequenter adhuc manet illius propria. II. quia in Imperatore residet plenitudo potestatis, ut patet ex A. B. cap. 2. §. 8. R. J. de anno 1550. §. et diweil wir nun 72. ibi: demnach gebiet

then wir von Römischer Kayserlicher Mache

Mache und Vollkommenheit allen und jeglichen Chur, Fürsten / Fürsten u. Transact. Passav. annò 1552. §. dargegen aber 21. ibi: auß Kayserlicher Majest. Vollkommenheit gänzlich aufhebt. Ergo etiam in Imperatore residet Summa Jurisdictionis. III. qui Summus est Caput, est Summus in imperando, Summus in jure dicendo. Atqui Imperator est Summus Caput ex A. B. cap. 2. §. 1. & 2. R. J. de anno 1529. §. und anfänglich 1. R. J. de anno 1564. §. diweil dann 10. R. J. de anno 1570. §. nach erledigten 24. Ergo &c. IV. Status Imperii Imperatori subditos & subiectos se esse profitentur in Ordinac. Pacis publicæ Wormatiæ anno 1521. in proem. R. J. eòdem annò in præfat. R. J. anno 1525. in 67 proem. V. is, à quo provenit omnis Jurisdictionis, & ad quem omnis Jurisdictionis redit, habet utique Supremam Jurisdictionem. Sed ab Imperatore provenit radicaliter omnis Jurisdictionis temporalis, & ad illum per appellationem revertitur ex tract. de præscrip. cap. 4. à n. 523. Ergo &c.

68 Objic. I. textus è Recensibus Imperii, paulò ante citatos, esse merum styllum Curie, Germanis, qui ubivis inanes titulos liberalissimè spargunt, perambularem.

Resp. Germanos quoque in titulis esse delicatos, maxime ubi de superioritate & subjectione agitur: nec credendum est, Imperatorem à Statibus ut Supremum & Summum Caput agniti in, si tale non esset: tacendò, alias verba in significatione propria accipiendâ esse.

69 Objic. II. Jurisdictionem Supremam esse penes Cameram Imperii, ad quam, & non ad Imperatorem, datur provocatio; à qua etiam, non verò ab Imperatore, mandata executoria ad Principes promanant.

Resp. Cameram esse judicium, in quo Imperatoris nomine Jurisdictionis administratur. Rubric. Ord. Cam. annò 1495. ibi: Ordnung der Römischen Königlich Majestät Cammer Gericht. Proem. Ord. Cam. annò 1500. ibi: daß solch unser Cammer Gericht. R. J. de anno 1570. §. in unser Cammer Gerichts Ordnung 85. omnesque citationes, mandata, penas, & sententias, fieri scribi, promulgari, & signari Imperatoris sigillo Ord. Cam. p. 3. tit. 12. §. und so solche 5. & part. 1. tit. 27. §. und soll der Verwalter 6. atque ultimè processus Camerales ad Imperatorem per Revisionem devolvit.

70 Objic. III. in consortium Imperii Status, & præcipuè Electores, assumptos fuisse: nam sinè consensu Statuum nequit Imperator Leges ferre Instr. Pacis Osnabrug. art. 8. quempiam ex numero Statuum excludere Capitul.

Carolin. art. 1. bellum indicere Cap. ead. art. 4. imponere tributa vel collectas Imperiales Instr. Pac. d. art. 8. §. 2. pacem Imperii nomine concludere d. art. 8. §. 1. & 2. federa pangere d. art. 8. §. 3. &c. Absque consensu Electorum nequit Imperator nova vectigalia introducere, aut vetera augere Capit. Carol. art. 8. bannum Imperii decernere ibid. art. 20. jus regale monetæ concedere ibid. art. 9. alienare & oppignorare bona Imperii art. 10. feuda majora, Imperio aperta, de novo conferre art. 11. & si quæ sunt alia.

Resp. multa ab Imperatore Electoribus & Statibus esse communicata, non necessitate cogente, sed liberâ voluntate & Cæsareâ Clementiâ stimulante: neque tamen omnia Majestatis Jura à Cæsare avulsâ, sed complura eidem hodie dum esse reservata: indeque Imperatorem aliqua tantum sine concursu Statuum exercere prohiberi; Statibus verò quoad Imperii administrationem nil absque Cæsaris interventu licere: & hinc ex objectione propositâ & similibus plus non inferri, quam Supremam, Monarchicam, & Majestaticam Potestatem Imperatoris in actu secundo, quoad exercitium, & administrationem, nonnulli esse limitatam & restrictam. In 72

quam loquendi formulam aliquatenus propendere videtur D. Gletle in Selsis. Jur. publ. cap. 3. num. 45. & seq. ubi ait: „Majestatem in actu primo non infringit Capitulum Cæsareæ, sed tantum exercitium ejus limitat, „actumque secundum moderatur; ergo Imperator manet verus Monarcha. Fatetur tamen, Majestatem Imperatoris non extendi ad Jura Territorii particularis; sed hæc liberè à singulis Statibus exerceri, ut nec Imperator, nec quisquam alius possit intercedere, ac ea, quæ pro ditionibus suis edixerunt Principes, jure Imperii infringere d. Instr. Pacis §. 8. §. 1. Cap. Leopold. & Joseph. art. 3. Carol. art. 15. Eaque ratione exilliant, statum Regiminis in Germania deflectere ad systema civitatum, prolixius in cit. loc. declaratum.

Notanter autem bucusque de Jurisdictionis ne Imperatoris in Imperio Romano-Germanico locuti fuimus. Abolita siquidem est sententia Bartoli, in l. hostes 24. ff. de Captiv. & postlim. Jurisdictionem in universum terrarum orbem Imperatori afferentis: neque enim ullus Imperatorum aut de facto ejusmodi potestatem habuit, aut habere debuit, tum Lege, tum ratione, tum necessitate deficientem. Confer post Covarruv. in reg. peccatum 2. part. §. 9. num. 5. & 6. Molinam de J. & J. tit. 2. disp. 30. num. 2. Clariss. D. Joseph. Bona-vent. Franz in Quæst. select. ex univ. Jure q. 13. ubi à n. 3. ad opposita doctissimè respondet.

§. IV.

Qualem Jurisdictionem obtineat Judicium Imperiale Aulicum?

74 Quamquam Imperator ex §. antecedente Summam in universo Imperio Jurisdictionem obtineat; tamque antiquissimis temporibus in Aula sua, in præsentia Principum, Comi-

Yyy Comi-

Comitum, Nobilium &c. exercere, pro tribunali sedere, ac extra ordinem quasi jus dicere consueverit, ut refert ex Goldasto D. ab Andlern *Jurisprud. publ. lib. 2. tit. 3. n. 6.* postea tamen, in nimiam multitudinem litium exerecente copia, tribunalia sunt erecta, in quibus statò tempore jus Imperii civibus redderetur.

75 Tale tribunal est Judicium Imperiale Aulicum, der Kaysersliche Reichs-Hof-Rath / ex eo sic dictum, quòd causæ Imperiales, inter membra & Status Imperii controversæ, ibidem discutiantur; vocaturque aliàs *Senatus Imperii Aulicus, Consilium Aulicum Imperatoris, Aula Caesarea, Summum Imperatoris Judicium.* D. ab Andlern *cit. l. n. 7.* ac definiti potest, quòd sit Collegium Judicis & Assessorum, in Aula Caesarea de Causis Imperii jus dicentium. D. ab Andlern *cit. l. n. 9.* Sweder *Introduci. ad Jus Publ. part. spec. sect. 1. cap. 12. num. 1. in fin. Vitriarius Instit. Jurispubl. lib. 4. tit. 7. n. 1.*

76 Dixi I. Collegium: neque enim tam Excelssi Dicalterii administratio uni personæ, sed universitati cuidam Virorum Illustrium & Eruditorum est commissa.

77 Dixi II. Judicis: qui quidem juxta Ordinationem Judicii Imperialis Aulici *tit. 1. in princ.* esse ipsemet Augustissimus Imperator; ab eo tamen constituitur aliquis Præses ex Collegio Principum, Comitum, vel Baronum Imperii juxta *cit. Ord. in princ.* cujus in hoc judicio proxima post Imperatorem est dignitas; cujus etiam munus est, rogare Assessorum de rebus propositis sententias, dirigere omnia totius Senatûs negotia, ac cavere, ne quid illius Auctoritati decedat; cujus in absentia vices sustinet Vice Præses.

78 Dixi III. & Assessorum; quorum plerumque sunt 18. atque ex his 6. Augustanæ Confessionis: quive assumuntur partim ex Ordine Illustrium, partim ex Ordine Doctorum; illique sedent ad latus dextrum, auf der Grafen- und Herren-Banc; isti ad latus sinistrum, auf der Gelehrten Banc / *d. Ord. tit. 1. in pr. & §. die Session &c.* hõc nihilominus discrimine servatò, ut in causis Statûs, in Staats-Lands und dergleichen Sachen / sententiam suam primi dicant ex classe Nobilium selecti Consilarii; in reliquis verò causis, justitiam concernentibus, primæ sint partes & vota Literatorum. D. ab Andlern *cit. tit. 3. num. 25. & seqq.*

79 Dixi IV. in Aula Caesarea. Hinc, licet Vienna sit locus ordinarius hujus Judicii, si tamen contingeret, Imperatorem aliò suam Aulam transferre, illuc quoque Judicium Aulicum cerneretur esse translatum *d. Ordinat. tit. 1. §. alle diese zc.*

80 Dixi V. de causis Imperii jus dicentium. Adeoque respectu causarum Imperialium, quæ nempe cives Imperii, tum mediatos tum imediatos, tangunt, si non in prima, saltem in secunda instantia, Judicium Aulicum Jurisdictionem fundatam habet. Clarissimi & meritiissimi Facultatis nostræ Antecessores D.

Hermes in *Fascic. Juris Publ. cap. 12. num. 12.* D. Joann. Franciscus Balthasar in *dissert. de Judic. S. R. l. membro 1. n. 11. & seq.* Sed de his iterum in *secl. seq.* Verum.

Quæritur I. an hæc Jurisdictio sit ordinaria vel delegata? Pro delegata Jurisdictione facit præcipue, quòd Imperatore factis concedente, mox expiret Jurisdictio Consilii Aulici, acta omnia à Registratore obsequentur, atque ad noviter Electi Imperatoris regimen in suspenso maneat: cum econtrà Jurisdictione Vicariorum Imperii interea se exerat, quorum acta, finito interregno, ad Electi Imperatoris Aulam transmittuntur. Itaque post Gerhardum & Gastellium Judicis Prefinger in *not. ad Viriar. cit. tit. n. 37.*

Pro Jurisdictione ordinaria concludit, quòd Judicium Imperiale Aulicum à tempore immemorali, Lege stabili, partim scripta, partim non-scripta, constitutum, ex munere & officio jus ordinariè in omnibus causis dicat, ex ante dictis: quæ ratio jus dicendi arguit Jurisdictionem Ordinariam ex dicendis in *cap. 6.* Sicque concludere videntur D. Bardili de *Jud. Aul. cap. 7. §. 1.* & Uffenbach de *Jud. Aul. cap. 10. sect. 1. subsect. 3. in fin.* à D. Swedero *ubi supra n. 13.* allegati.

Resp. ergo & teneo cum posterioribus, Jurisdictionem Judicii Imperialis Aulici esse Ordinariam; etique non officere, quòd cum morte Imperatoris expiret: nam etiam Jurisdictione Vicarii Episcopalis est secundum nos ex decidendis in *d. cap. 6.* Ordinaria, esto cum Episcopo, naturaliter vel civiliter mortuo, & ipsa deinat.

Quæritur II. an Jurisdictione Judicii Imperialis Aulici cum Jurisdictione Cameræ concurrat?

Resp. cum Gail. *1. obs. 121. n. 3.* D. Balthasar *cit. dissert. de Judic. membro 1. n. 16.* D. Lundenpõr in *dissert. de Imperior. orig. cap. 30. num. 49.* D. ab Andlern *cit. tit. 3. n. 36.* Vitriario *cit. tit. 7. n. 22.* Sweder *cit. cap. 12. n. 7.* affirmativè, & dico contra Rosenthal de *feudi. cap. 12. conclus. 5. num. 5.* & nonnullos alios, quòd in illis causis, de quibus jus dicit Camera, possit etiam jus dicere Judicium Imperiale Aulicum; sitque liberum actori ab initio, vel Camerale vel Aulicum adire judicium; postea verò ibi cursum judicium profequi teneatur, ubi causa per citationem præventæ est. Fundatur hæc responsio tum in Con-

stitutionibus Imperii R. J. de anno 1512. §. 3um dritten 8. ubi fateretur Imperator, post Judicium Camerale jam constitutum quam plurimas causas ad Judicium Imperiale fuisse delatas; tum in Ord. Jud. Aul. tit. 2. §. soßwollen / ubi habetur, concurrentem Cameræ Jurisdictionem quoad certas causas, pro faciliiori & celeriori expeditione, fuisse concessam: tum in continua hujus temporis observantia, de qua Joannes Braun in *lib. Var. Amenit. q. 10. pag. 117.* testatur: tum in ratione, quæ constat, Judicium Camerale idèò constitutum esse, non ut Summæ, & universali Jurisdictioni, quæ

quæ in Judicio Aulico exercetur, aliquid detrahatur, sed ut aliquatenus illa in controversiarum multitudine sublevetur. Aliàs etiam constat, Jurisdictionem à Summo Principe non privativè sed cumulativè concedi. Obrecht de *Jurisprud. l. 1. cap. 1. n. 2.1*

86 Neque officit, quòd in Ord. Cam. part. 2.

§. V.

Quomodo Jurisdictionem exerceat Camera Imperialis?

87 Præter Judicium Imperiale Aulicum, pro litibus velocius & commodius terminandis, annò 1495. institutum est Judicium Camerale, seu Judicium, quod in Camera vel Consistorio Imperii exercetur, aliàs simpliciter Camera Imperii, vulgò des Kaysers / und des Heil. Reichs Cammer-Gericht / vel simpliciter des Kaysers. Cammer-Gericht dictum; D. Hermes in *fascic. cap. 13. sub n. 2.* ac describi potest, quòd sit Collegium Judicis & Assessorum, in Camera Imperii, jus de causis Imperii dicentium.

88 Dixi I. Collegium. Nam & Cameræ Judicium plurium Votorum sapientissimis consiliis instruitur.

89 Dixi II. Judicis; Germanicè des Cammers Richters: nam præter 4. Præfides, duos Orthodoxos, duos Protestantas, huic Judicio præest Judex, quem Natione Germanum, & Jureperitum, ex Ordine Principum, Comitum, vel Baronum Imperii, designat Imperator vel Rex Romanorum. Ord. Cam. p. 1. tit. 1. in pr. & §. nemblich zc.

90 Dixi III. & Assessorum. Horum dimidia pars ex Ordine Equestrum & Illustrium; pars dimidia ex censu Doctorum assumitur: suntque omnes simul numerò 50. videlicet 26. Catholici; 24. Acatolici; duo ab Imperatore, ceteri à Circulis Imperii præsentandi. Vitriarius *lib. 4. tit. 6. n. 11. & seqq.* Estque illorum officium, ut Judici assideant, & omnem operam in causarum discussione impendant. D. Balthasar de *Judic. imp. membro 3. n. 11. & seqq.* D. Hermes in *fascic. cit. cap. 13. n. 11. & seqq.*

91 Dixi IV. in Camera Imperii, quæ longissimò tempore erat Spire, sed postea ingruentium

tit. 35. cautum sit, dafi dem Cammer-Gericht sein freyer starker Lauf gelassen / und dagegen nichts gegeben werden soll / ohnerhindert einiger Restitution, Avocation, oder Suspension. Hoc enim intelligendum est de causis, in Camera jam pendencibus, quas ibidem, ubi cæptæ sunt, continuari, publicè expediri.

§. V.

Quomodo Jurisdictionem exerceat Camera Imperialis?

bellorum causâ Wezlarium translata, modò extraordinariâ quâdam visitatione Imperatoris, & Imperii nomine (cujus Principalem Consiliarium egit Celsissimus ac Reverendissimus DD. Rupertus S. R. I. Princeps & Abbas Campidonensis) instituta, denuò restaurata est. Dixi V. *jus de causis Imperii dicentium; de quibus in secl. seq. §. 3.*

Controvertitur autem I. an Jurisdictione, quæ Camera Imperii jus dicit, Ordinaria vel Delegata sit dicenda? Consonior sententia, contra Granium affirmat cum Gail. *1. obs. 41. num. 5.* D. Balthasar *cit. l. in. 39.* D. Hermes *cit. l. n. 21.* D. à Someting in *Semi-centur. Controv. Illustr. dec. 2. contro. 2. num. 7.* Blumio *Process. Cam. tit. 25. §. 7.* Ratio est: tum quia Jurisdictione Cameræ perpetua est, nec cum morte Imperatoris extinguitur. Ord. Cam. p. 1. tit. 3. tum quia Lex publicè data, vi proprii muneris administratur: tum quia non datur appellatio à sententia Judicii Cameralis; quæ tamen à sententia Judicis, à Supremo Principe Delegati, non est prohibita, quò minus ad Delegantem interponatur.

Controvertitur II. utrùm Camera Jurisdictionem privativè, an cumulativè habeat? Sed resolutio hujus controversiæ videtur sequi ex *num. 84.* cum enim Judicium Imperiale Aulicum concurrat in Jurisdictione cum Camera: sanè hæc Jurisdictionem suam non privativè, sed cumulativè habet. Et ita sententium cum verissima sententia Schwannan præst. *obs. 4. num. 1. 2. 3. & 6.* Vultejus in *tit. Cod. de Jurisdictione l. 2. cap. 2. num. 9.* D. Hermes *cit. loc. n. 22.* D. à Someting *cit. l. n. 13.* & multi, ab his laudati. Schilter *Instit. Jur. Publ. 10. l. lib. 4. tit. 4. §. 5.*

SECTIO III.

De Objecto Jurisdictionis Summæ Secularis.

SUMMARI A.

95. Objectum Jurisdictionis Secularis, latius accepta. 96. Ex pressis sumpta indigitatur. 97. Cognitioni Caesarea sunt reservata causa feudorum Regalium. 98. Ad quam aliqui requirunt concursum Principum. 99. Alii excludunt. 100. Reservata sunt etiam causa privilegiorum. 101. Privilegium. 102. Præcedentia. 103. Supplicationum. 104. Judicium Imperiale Aulicum possit de omnibus cau-

sis cognoscere, de quibus Camera. 105. Habet tamen aliquas causas sibi reservatas. 106. De causis Religionis movetur dubium. 107. & seq. Quæ tamen verius ad idem Tribunal pertinent. 109. & seq. Additur quedam declaratio. 111. Causa Cameralis in dupliç diffinitione. 112. Inducuntur ille, quæ ad primam instantiam spectant. 113. Inducuntur alia, quæ spectant ad secundam.